

scimus an hæc vel illa sit revera primæ magnitudinis, potest enim minor nobis esse propinquior & apparere in prima magnitudine, contra major quæ est remotior, potest apparere ut stella sextæ magnitudinis) singularia constituunt Systemata; ac sicut Canicula, dempto Sole, Terreno globo non affulget, sic neque Sol noster iis corporibus mundanis, quibus Canicula lucet, fulgere potest.

Sol Canicularis.

Nº. eodem III. pag. 347. COSM. Sed ut hæc omnia clarius cognoscas, ad Solem Canicularem properemus. THEODID. Quantum nos putas ab eo distare? COSM. Quantum Terra à Sole vestro. THEOD. Quo dicto iter acceleravimus. O mi Cosmiel putabam te me ducere velle in globum Caniculæ, at jam me intra Terram & Solem nostrum constitutum video. COSM. Unde id colligis. THEOD. Lunam ego nostram video. COSM. Luna, quam vides, non est Luna Terræ, sed globus est opacus circa Caniculam agitatus, qui à Caniculari Sole illuminatus necessario Phases similes Lunæ exhibet; cujus innumeræ in hoc immenso Firmamenti profundo existunt, & nullo unquam tempore, humano oculo attingi possunt.

Planeta quidam circa Solem Canicularem.

ANNOTATIO.

Ex quibus apparet 1. Stellam quam vocamus Canem majorem, esse Solem suæ regionis: à quo tunc temporis Theodidactus distitit tantum, quantum nos à nostro Sole. 2. Theodidactum putasse, se ductum iri in hunc Solem, cum tamen ductus fuerit ad globum aliquem mundanum opacum circa Caniculam agitatum & ab illa illuminatum. Qui quidem apparuit ut nobis Luna (in ejusmodi enim distantia, qua nos distamus à Luna nostra, necessum quoque est Planetas, excepto eorum motu vertiginis, Phases similes Lunæ exhibere) sed è genere Lunarium corporum non fuit, dum agitatus est circa Solem suum: Ergò fuit Planetarium corpus, quia sunt saltem tria mundanorum corporum genera. 3. Notandum ex hac Kircheri sententia sequi: Ejusmodi corporum in immenso stellarum Fixarum profundo, innumerabilia existere, à nobis autem non videri posse, quia lu-

men à Solibus suis mutuuntur, quod longè debilius quam Lux ipsa Solium vel Solarium corporum.

Nº. IV. p. 348. COSM. Sed hæc omnia in isthoc Lunaris naturæ globo constitutus luculentius intueberis. THEOD. Quo dicto Lunaris naturæ in globum me depositus; Globus erat ex liquido & solido consistans, prorsus ejusdem cum globo Lunari constitutionis, nisi quod ab eo viribus & proprietatibus toto ut ajunt Cælo differret. Mi Cosmiel, lumen quo oculi mei perstringuntur, nimium est, neque ullam amplius Firmamenti faciem intueri possum, duc itaque me in adversam globi partem ut velut ex nocte quadam, omnem cæli faciem exactius expendam: Quod factum fuit. Hic ego primùm ea detexi, quæ nullis verbis, nullo eloquio satis describi possunt. Vidi siquidem supra me innumerabilem stellarum multitudinem juxta sextuplicis magnitudinis ordinem.

Theodidactus constituitur in Planetam ad Canem majorem pertinentem.

Et quidem in partem istam ubi dies est: desiderat alteram partem ubi nox est.

ANNOTATIO.

Ex his colligendum: 1. Quod Cosmiel seu potius Author hujus Colloquii, hoc loco tam accuratè non distinguat, inter corpora Planetaria & Lunaria, sed unum pro altero sumat. Fuit autem Planetarium corpus, per supra dictam rationem, non verò Lunare. 2. Quod tam Lunaria quam Planetaria corpora cæteris paribus constant ex materia liquida & solida (qua de re dictum est lib. 6. cap. 10. & 15.) interim inter se valdè differant; derogaret enim Omnipotentia, rem eandem sine ulla varietate creare, ex ea enim magis omnipotentia cognoscitur. 3. Quod Theodidactus in istam globi faciem depositus, quæ à Sole suo illustrata tunc temporis fuerit (id est ubi dies fuit) itaque ad spectum stellarum non habuit; Sed vidit procul dubio in ista illustrata Globi superficie, ea, quæ verbis satis describi non possunt, Author forsan studio de illis aliquid commemorare intermisit. Unde 4. adversam globi partem (ubi sc. Nox) desiderat, & Cæli faciem ex ista regione adspicit, quam longè aliam quàm è Terra spectatam invenit.

Nº. eodem IV. pag. 348. THEOD. O mi Cosmiel quam insolitam rerum faciem intueor! Num hæc stellæ Firmamenti

Theodidactus alias Stellam videt.

Gg | menti